DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO - CHIRURGICA
PERTRACTANS
VIM NATURAE MEDICATRICEM

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM,
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA RITE OBTINENDA
IN
CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA
Publicae Crisi tradit

Aloysius Franciscus Weiner,
Moravus Strassnicensis
Medico-chirurgus castrensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae hora 1. *die* 6*ta mensis Decem. Anni* 1833.

Vindobonae 1833.
Typis Francisci Ludwig.

PERILLUSTRI SPECTABILI

AC

DOCTISSIMO

DOMINO DOMINO

ANTONIO RICHTER

ARTIS MEDICAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

INCLYTAE LEGIMINIS PEDESTRIS 43mae

REI MEDICAE PRAEFECTO.

V I R O

SCIENTIA, INTEGRITATE HUMANI-
TATE ET BENEVOLENTIA

I N S I G N I

F A U T O R I O P T I M O

PRIMOS HOSCE STUDII ACADEMICI
FRUCTUS SUMMA CUM
AESTUMATIONE VOVET AC
D E D I C A T

devinctissimus

Auctor.

Prooemium.

Cum natura tanquam opus Artificis divini Sapientissimi matrem omnis activitatis constituat, e cujus sinu omnis vita promanat, iterumque redit, ipsa proin semper viva et inalterabilis; cum in ea supremum homo teneat locum, hunc autem cuilibet, praeprimis autem medico noscere oporteat, ut ejus vitam tueatur, et vitae morbum normae restituat, quod tamen non praestabit, nisi noverit: quid et quomodo ipsa natura hominis, sibi soli relicta agat in sanitatem conservandam et morbum exterminandum; tunc veritate hac intime perculsus in naturam conservatricem ac medicatricem per decursum Studii medico-practici attentionem meam direxi, ex ea rescire cupiens quemodo et qualiter ars illi succurere debeat, et itaque argumentum hoc, pro mea inaugurali dissertatione selegi, non mihi blandiens illud hisce absolvisse, sed contentus me pro marte possibili sitim in veritatem sedasse, et scribendo non frustra trivisse tempus.

Conceptus vis naturae medicatricis.

In est organisme animali vis, quae ex congressu materiae seminalis orta ex hac ipsa et materia nutritiva, a matre veniente sibi or-

ganismum struit, exstructum continuo evolvit, et omnes illius functiones ad sui conservationem dirigit; hinc, quae organismum contra morbos defendit, et morbo adfectum in statum sanum reducere tendit. Est ergo vis sanitatis conservatrix et medicatrix eadem cum illa, quae organismum exstruxit et ex iisdem legibus explicanda.

Quid attenta oeconomiae organismi lustracio doceat, quid viri sagacissimi de hac mirabili virtute sentierint adducere conabor. Primo quidem hanc organismi vim rerera existere demonstrabo, et inde quid, et quomodo fiat explicabo.

Caput I.

De existentia vis medicatricis et conspectu ejusdem histerico.

Vis medicatrix est organismi ejusque virium et functionum abnormium in statum normalem reductio, propriis vitae viribus peracta absque omni artis auxilio.

Talem in organismo virtutem revera existere testimonia virorum sagacissimorum demonstrant, ratio suadet recentiorum medicorum experientia confirmat.

Quoad primum Coevitatem vis naturae medicatricis, cum vi vitae nemo qui altius naturam scrutatur negare poterit. Ut primum enim e sinu terrae homo in vitam vocatus exstitit, mox vitam ejus vi naturae medicatrici concreditam cernere licet, quam sanam conservare,

per varias vitae periodos incolumen traducere, primi ejus officii fuit; dum quod incassum negatur per noxios adfectum et passionum aëris, temperaturae, cibi, potusquae et aliorum necessariorum vitae incitamentorum influxus, adque post potentiarum mechanicarum actionem violentam morbi interni, vulnera item ac fracturae enatae sunt, quis hac normae reduxit? An medicina quae vel nulla exstitit, vel mala — An fortuitus? qui vana est nomenclatio — dicendum itaque est: Virtutem naturae hominis tunc secundo suo munere, nempe medicatrici functam Sanitatem restituisse. Agnoverunt hanc veritatem antiquissimi artis medicae in Aegypto, in Palestina inque grecia ministri, Sacerdotes et Prophetae, quorum prudentiores certe perspexerunt, sanationem aegrorum nec cerimoniis mysticis, nec offertoriis, tribuendam esse, quam potius a propria vi organismi sese vindicantis provenire, quam vim excitare et exacuere conati sunt, per revocationem aegrorum a curis suis ad loca templorum amoenissima, in silvis prope scaturigines sita, per sustentationem nimiae confidentiae preces jeiunia, amuleta, et his similia.

Philosophi antiquissimi qui et medicinam coluerunt, ut Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, sapientissime de vi naturae medicatricae disseruere, saepius enim adfirmant: totam naturam adspirare ad sui conservationem, ad sananda mala, illam vigilare in conservationem omnium — illam appetere, id quod illam conservat, et abhorere, quod ei perniciem minatur.

Hippocrates verus hic medicinae rationalis fundator, non tantum in theoria hanc naturae virtutem, ad culmen evexit, sed et in praxi sua felicissima observationibus castissimis comprobavit. Et quidem exordio Lib. Epid. VI. S. V. act. morbis naturae medentur, in Lib. de Insom. dicit quod psyche gubernet suám propriam domum, in Libr. de Arte: vim naturae humanae vocat medicinam, seu illud negotium, quo natura ipsa aegrotantes in integrum restituat, adeoque depellendo morbos, sanitatem reparet, adque vindicet. Item alibi: quod natura sit animalium servatrix, morbos finiat, noxia indicet, ac eiiciat, convenientia servet, aliena separet.

Aristoteles ipse fatetur: naturam semper optima facere, in omnibus illis, quae esse possunt Lib. II de generat. C. 10.

Galenus dignitatem medicatricis quoque naturae restauravit; segregando enim a multis hypotheticis, aut juxta genium ejus temporis erroneis, ejus doctrinis illud in finem nostrum ex eo, ex cerpere licet, quod is in Lib. IX de Placitis Hyppocratis et Platonis Lib. V De Facul. Nat. De usu partium docuit: naturam esse fontem sanitatis hominis, retinet enim hoc quod ei est utile, et expellit superfluum, seu objecta ei peregrina per suas proprias vires.

Dum in operibus Theophrasti et Paracelsi legitur de Archaeo, qua principio vitae daemoniaco, seu physico, quod Archaus omnes functiones physicas gubernet, regat, quod morbi sanentur, dum ipse Archaeus qui perturbationem illam concitavit, per turbationem illam in organismo superat, et quod illa medicina

sit universalis futura, cujus ope Archaeus dirigatur cet. Nonne haec serio perpensa, vires organismi humani, autocraticam, in hujus functionum harmoniam conservandam exerere potestatem, indicant.

Quoad secundum. Hanc organismi vim, revera existere ipsa ratio suadet: Rerum externarum continuus est in organismum influxus; sine hoc influxa vitam nec inchoare nec continuare potest; ab hoc organisationis reproductio et virium restitutio dependet. Jam vero haeres externae ut in ipsam organismi substantiam transire possint, subigi prius per organismi vires et assimilari debent, ut natura sua deposita, substantiae organicae et animali homogenae fiant. Continuus igitur obtinet conflictus inter organismi vires et res externas, ex quo prodit vel Sanitas, si vires rebus exsternis proportionatae sunt; vel morbus si res exsternae vel quantitate vel qualitate peccant, et virium reactiones vel solito vehementiores excitantur, vel supprimuntur, vel exhauriuntur. Eadem ergo vita momenta, quae agunt in statu sano, agunt quoque in morbo, et vis quae sibi struit organismum, exstructum conservat, quae jam in statu sano res exsternas continuo Subigit, non subigendas aut vitae vi destructas, diversis viis eliminat, quae sibi multos fabricat humores in commodum organismi; haec vis profecto vitae obstacula removere potentius nocivas subigere vel eliminare, abnormem materiae organicae miscelam corrigere, turbatam inter vires ac functiones harmoniam restituere, i. e. morbis mederi poterit.

Ex his patet, sub vi medicatrice non vim simplicem intelligi posse, sed complexum potius omnium virium, quae vitam constituant.

Quoad tertium. Existentia vis organismi medicatricis per ipsam ex perientiam evincitur: nam

I. Observatione constat, nullum fere existere morbum, si quasdam organorum destructiones excipere velis, qui sola naturae virtute absque omni artis auxilio non aliquando sanatus fuisset, sic vulnera, ulcera cerebri, pulmonum, diaphragmatis, hepatis, lienis, intestinorum, quin imo ipsius cordis, diu sine vitae detrimento perstitisse, non raro sanata fuisse castae observationes docuerunt. Omnes febres et ipsam pestem, in sumo gradu et sub pessimis circumstantiis, sola naturae vi Sanatam fuisse in itinerariis legimus. Et centenos quotidie observamus aegros praecipue egenos, qui absque omni medicamine, observato solo regimine diaetetico saepe sanantur.

II. Diversissimas, imo contrarias in eodem morbo medendi methodos adhibuerunt medici, hodiedumque adhibent, et aegri sanantur. Quaevis medicorum secta, suam laudibus prae caeteris extollit methodum; quum tamen non haec methodus, sed natura est, quae morbum sanavit. Saepe nequaquam haud vituperanda metendi methodus, sed medici ignorantia lethiferum aegro propinat medicamentum, et natura medicatrix tamen debellando morbum sanitatem adducit.

III. Nec rari sunt casus, aegros, quos ars tentato omni remediorum apparatu insanabiles dimisit, citra omnem expectationem restitutos fuisse.

IV. Denique certum medicus saepe intendit scopum adsequendum et alius longe que diversus, non raro praefixo contrarius insequitur effectus et morbus cessat Sic cortex peruvianus scopo roborandi adhibitus in morbo, in quo evacuatio indicata esset, alvi fluxum excitat et morbus aufertur. Quis ex his operationibus virtutem medicatricem non intelligat?

Quum ergo talem virtutem, quae sine artis adminiculo morbis medetur, revera existere, demonstravimus; ad ea quae observatio in morbis acutis et chronicis docet, transimus.

Caput II.

De observatis naturae medicatricis moliminibus.

Si distinctam de virtute organismi medicatrice ideam nobis comparare cupiamus, antiquorum imprimis Hippocratis scripta consulere debemus. Illi enim medici castis sensibus et sine praeconcepta opinione in aegris omnia, quae sensibus patent, observarunt, et eadem castitate sine artis adfectione litteris expresserunt. Ipsa etiam natura in actionibus suis minus turbabatur et morbus regularem magis decunsum observabat, in hominibus naturalem magis vitam viventibus. Nostris temporibus na-

tura quidem secundum easdem operatur leges; sed organismus iusdem vita, a statu illo naturali magis remota, ejusque operationes arte magis turbantur, et inde minus manifesta sunt illa vis medicatricis molimina. Ut autem quae natura molitur ad morbos vincendos et ars observavit, lucido pertractentur ordine; primo de iis, quae in febribus, et postea quae in chronicis et organicis morbis observentur, disseremus.

A Observata in febribus naturae conamina.

Febres vera sunt virtutis organismi medicatricis conamina, quibus id, quod vitae interitum vel organismi destructionem minatur, excitatis vitae viribus studet subigere aut eliminare, et sublatam inter vires harmoniam restituere.

In omnibus febribus excitatae virium actiones observantur, quibus organismus causam morbi auferre tendit. Harum actionum effectus crisis elicitur, per crisim ergo sors aegri determinatur, qua saepe sepius fausta est, et plurimi sane aegri per naturam medicatricem salvantur.

Haec virium operationes certo typo et certis stadiis adstrictae sunt, crisisque ipsa certis diebus obtinere solet. Dies quibus febres judicari solent, criticos dixere veteres, et sunt dies praecipue impares, tertius, quintus, septimus et cet: causa in typo latere videtur quem plurime febres amant tertianum; hinc quo magis regularis est febrium decursus, eo certius

obtinet crisis die impari. Si vero febris per decursum ita anticipat, ut anticipatio horas efficiat viginti quatuor, febris inde die pari judicatur. Teste Hippocrate febres ante diem undecimum die impari exacerbantur, hinc et tali die judicantur, post diem undecimum observant typum quartanum, et die decimo quarto, decimo septimo, vigesimo judicantur.

Inter hos dies criticos quidam observantur, quibus crises solemniores contingere solent, quales sunt, septimus, decimus quartus, vigesimus. Hos dies criticos antecedit alius, qui crisim futuram et speciem criseos indicat, Tales dies contemplantes vel indicantes vocarunt veteres, et sunt intermedii inter morbi initium et septimum, et duos septenarios; hinc quartus, undecimus, decimus septimus. Si v. c. die undecimo urina missa levem hypostasim deponit, vel nonnullae sanguinis guttae e naribus stillant morbum die decimo quarto per urinam vel haemorrhagiam narium judicatum iri, concludimus. Ceteris diebus imparibus, quinto, nono, et cet. quoque crisis observatae sunt sed minus solemnes, hi dies nomine intercurrentium insigniebantur. Diebus paribus reliquis acriticis dictis, nulla crisis observata est, et his medicinam exhibebant veteres.

Hos dies criticos maximi fecerunt veteres, et eorum observatio febrium curam dirigebat. Nostris temporibus tanta crisium regularitas vix unquam observatur, quum organismus perversa educatione, et longe a statu naturali aberrante vivendi ratione labefactatus, observatur, morbusque cura febrium nimis impetuosa a

regulari decursu detrahitur. Inde tamen non verum est, quod neoterici multi adfirmant, nullos dari dies criticos, et doctrinam veterum de crisibus ad insomnia referendam esse. Nam fideli ad lectos observatione constat: Morbos febriles amare typum tertianum et stadia septenaria. His tamen minime adfirmare volumus, morbum febrilem die nonnisi septimo, bisseptimo vel vigesimo judicari posse, neque illis medicis adsentire possumus, qui computatis diebus criticis diem horam et formam criseos praesagiri posse defendunt.

Crisis bona et levamen inde ortum mox cito et repetente contingit, mox pedetentim et repetitis conatibus perficitur. Prior crisis perfecta dicta in febribus acutissimis contingit. Posterior lysis vocata in decursu lentiori observatur. In genere antiquis temporibus crises perfectae, nostris vero lyses sunt frequentissimae.

Crises felices, manifesta phaenomena, imprimis evacuationes cum levamine comitantur, quae crises vocantur excretoriae. Ad has evacuationes criticas frequentiores et solemniores spectant. Sudor, urina, diarrhoea et haemorrhagia critica; minus frequentioribus adnumerantur: sputum, vomitus, blenorrhoea, suppuratio salivatio, exanthemata critica.

Hae excretiones, si revera criticae sunt, certos habent characteres. Sudor criticus optimus universalis, aequabilis vaporosus, odoris subaciduli. Urina critica benefica est copiosa, vix odora, sub mictu limpida, a mictu turbida, eum hypostasi cito subsidente, copiosa, levi, albescente. Diarrhoea optima affert feces

homogenas, coctas, minus irritantes, consistentiae pultaceae. In genere excreta critica optima, justa maturatione praegressa, perturbationes criticas sequuntur, moderate larga, bene cocta sunt, et quam maxime cum levamine promto procedunt. Evacuationes his characteribus destitutae, symtomaticae dicuntur.

An hae excretiones sint causa levaminis subsequentis, an potius effectus vel cöeffectus ejusdem livaminis, inter medicos lis fuit. Humorali pathologiae addicti morborum fomitem in humoribus quaerentes evacuationes qua causam levaminis defendunt. Secundum illorum theoriam febris oritur a materia peregrina vel humore inquilino degenerato, vasa ad reactiones vehementiores sollicitante; morbus igitur non cessat, nisi materia illa subacta et assimilata, vel vero excreta; ut vero excerni possit, praeparatione vel coctione opus est.

Solidistae e contra vix non omnem morbum febrilem in spasmo solidorum consistere defendentes, exeretiones criticas pro effectu levaminis habent, quum per actum criticum spasmus in vasis minoribus resolvatur, et apertis inde organorum excretoriorum ostiis id, quod per morbi decursum collectum fuit excernatur. Nullam inde in praxi mereri attentionem excretiones, autumnant hi medici.

Dubium superesse non potest, materiam quandam ad febris existentiam minime requiri; nec rarae sunt febres, quae absque omni evacuatione judicantur, ea quoque quae excernuntur, non materiam febrim excitantem sed morbi productum et evacuationes nonnisi decrescentis morbi effectum esse. Ex altera vero

parte omnino verum est, causam febrim excitantem non raro materiam irritantem esse, cujus subactio et excretio morbum finit, id quod frequens est in morbis gastricis. Frequentissimi tamen videntur in praxi casus ubi excretio critica est coeffectus ijusdem causae, quae febrim judicavit et levavit. Nam plerumque eodem tempore ex eadem causa spasmo soluto colatoria aperiuntur et naturae conamine excernitur id, quod materiam morbificam constituit, vel quod sub morbo ab humoribus separatum fuit Medico practico par ratio est, sive excretio a levamine, sive levamen ab excretione; sufficit scire, quod diligens observatio satis comprobat, excretionem criticam virtute organismi medicatrice inductam, cum levamine venire.

Morbus per naturae medicatricis molimina ob nimis praevalentem causae morbificae potestatem saepe non penitus auferri potest, et inde vel in alium transit morbum, vel idem morbus decursum suum repetit, quo denuo vis medicatrix potentiam deleteriam oppugnare, vel vero per insolitas vias eliminare studet.

Morbus secundarius est vel alius typi et forma — *μεταπτωςις* — vel alius characteris — *διαδοχη* — vel sedem mutat, et universalis fit localis vel de organo primarie adfecto ad aliud fertur; et ibidem heterogeneum morbum producit *μεταςασις*. — vel locum mutat et in alio loco eundem seu homogeneum morbum generat — Metaschematismus a *μετα* et *σχημα* seu formae mutatio. —

Ad metastases, quae frequenter in aegri emolumentum obtinent, spectant: Abscessus,

inter reliquas metastases felicissima, si foras abscedit; inflamationes erysipelaceae, exanthemata, furunculi, tumores glandularum praecipue parotidis, arthralgiae, depositiones ad nervos et orta inde paralysis diversorum organorum; uti: amaurosis, paralysis linquae etc. ipsius quoque cerebri paralysis et ortus inde stupor, fatuitas — tristis quidem exitus, melior tamen morte; denique diversa organorum secernentium vitia.

B Observata in morbis chronicis naturae molimina.

In morbis chronicis debilior quidem vis medicatricis opera, quam in febribus, nec tamen omni destituitur. Natura enim viribus suis vitae periculo proportionatis utitur, et illis morbis, qui cito vitae periculum minantur, confestim et intenta energia collatis omnibus vitae viribus resistit; illos vero morbus, qui lento passu progrediuntur, et parva nonnisi capiunt incrementa, tardius et inertius oppugnat.

Morbi in quibus functiones naturales, nutricio, secretio, excretio imprimis patiuntur, uti cachexiae, sola organismi vi, si quaedam circumstantiae faventes accedunt, experientia teste frequenter et feliciter sanantur. Secretiones enim et excretiones sunt praecipua naturae momenta, quibus utitur ad morbos devincendos. Sic hydropem anasarcam post diarrhoeam spontaneam, vomitum sudores haemorrhagiam narium sanatam fuisse, Schenk et Hildanus ob-

servaverunt. Chlorosis et scorbutus solis potentiis diaeteticis sanatus est.

Natura medicatrix singulari modo antagonistico producit molimina in sanandis morbis chronicis, et depositiones metastaticae non infrequentes observatae sunt. Sic phthysis pulmonalis exorta suppuratione in parte externa sanata est. Mania exanthemate erupto cessavit.

Morbi alii chronici praecipue nervoses determinatum temporis spatium explent, crescunt, decrescunt, cessant. His morbis proprius subest processus dynamicus, qui per determinatum temporis spacium evolvitur, et post quam summum fastigium attigit, rursus decrescit; morbi non cessant prius, quam determinatam temporis extensionem emensi sunt. Hos per solam medicatricis operam levari aut sanari, negari non potest, quum decursus per nullam artem restringi potest, et multi eorum sub remissione evacuationes et depositiones offerunt sat solemnes. Sic morbi spastici chorea St. Viti, hysteria, tussis spasmodica, determinatum absolvunt decursum.

Profluvia frequenter salutaria. Haemorrhagia narium cephaleam tollit vel saltem levat; gravamina haemorrhoidalia fugiunt, quam primum haemorrhoides fluere incipiunt. Vomitus et Diarrhoea, quibus materia peregrina vel inquilina degenerata ejicitur, vel humores ab aliis partibus derivantur, millies salutifera observata sunt.

In morbis organicis partes divisae uniuntur, deperdita in quantum sieri potest regenerantur, depravata corriguntur. Sic natura vul-

nera unit modo arti non immitabili; substantiam deperditam per suppurationem resarcit, ossa fracta per callum conjungit.

Caput III.

Theoria vis organismi medicatricis.

Omnis sanatio, sola organismi vi peracta, iisdem fit vitae viribus quibus organismus formatur, quibus eadem semper organisationis miscela ac forma conservatur, quibus conformis per organa et systemata harmonia sustinetur. Vires in organismo vigentes, sive pure dynamicae, sive chemicae sive mechanicae, secundum easdem in statu morboso ac sano leges operantur; secundum easdem leges vita constituitur et conservatur, secundum easdem morbus ponitur, tollitur, et sanitas restituitur.

Per vim intelligimus quoddam agens cujus indolem ignoramus, et solos agentis effectus et actionis leges novimus. Quum et illud agens quod vitae phoenomenis praeest, nos latet, his vitae phoenomenis vim quandam supponimus, diversa aetate diversimode nominatam, ita quidem, ut jam Enormon, Archaeus, vis vitalis, incitabilitas, vocaretur.

Haec vis tamen ad vitam constituendam non sufficit, sed rerum externarum requiritur influxus; quae res externae jam qua stimuli, jam qua nutrimentum organisationem et vim vitalem restituens in vitae vim agunt, et ex horum factorum congressu qua productum prodit, actio vitalis.

Haec actio vitalis per totum organismum, omnia illius organa et systemata diffusa, ipsam

vitam constituit, et diversas functiones in organismi emolumentum et conservationem producit.

Omnes igitur vis medicatricis operationes ex actionis vitalis legibus et pendentibus inde functionibus, explicari possunt.

Jam vero actio vitalis, ut sanitas constet, ad certam quantitatem et qualitatem determinatam restringitur, et conformis inter systematum actiones et organorum functiones harmonia requiritur.

Vis medicatrix igitur in statu morboso actionem vitalem excedentem deprimere, lanquentem erigere, ejusdem qualitatem abnormem, et exortam inde miscelam perversam corrigere, tandem inter actiones et functiones consensum et antagonismum normalem; restituere debet. His iisdem actionibus consulto utitur natura ad morbos devincendos.

Est porro sancta vis vitalis lex, ut ab iisdem Stimulis diutius sollicitata paulatim minus adficiatur, et iisdem quasi adsuescat, ut inde et habitus ad sanationem per naturae vires inductam non parum contribuat. Tandem et hic singularis vis vitalis effectus, quod sub certa modificatione seu intonatione determinatam aquirat ad res determinatas affinitatem, qua fit ut ad res illas concupiscendas vel avertendas impulsu interno feratur.

Quod organorum functiones attinet, his omnibus, quotquot sunt, natura utitur ad morbos debellandos.

Jam quomodo natura diversis morbis medeatur, et quomodo singulis actionibus et functionibus ad hunc scopum adsequendum utatur videamus.

Sanatio morborum ex quantitate actionis vitalis per vim medicatricem.

Morbi in processus vitalis alienata quantitate radicati, actionem vitalem excedentem vel lanquentem offerunt, et morbus inde vel hypersthenicus est vel asthenicus est.

Morbus hypersthenicus per ipsam organismi reactionem excedentem virium jacturam patitur et semet ipsum consumit. Actio vitalis inde ad eum gradum redire debet, in quo sanitati accomodatum vitae processum continuare potest. In his morbis vis medicatrix adeo manifesta est, ut quotidie centenos aegros sine omni artis auxilio facillime et tutissime ab illis convalescere videamus. Hunc actionis vitalis excessum natura excitat, ut potentias morbificas eo efficacius subigat et eliminet.

Difficilior est morbi, in actione vitalis languore radicati, Sanatio. Attamen in his morbis actio vitalis ut plurimum per intervalla quiescit viresque colligit, ut tanto validius contra hostem agere valeat; id, quod in febribus intermittentibus per paroxismos, in remittentibus per exacerbationes et remissiones, nec non in multis morbis chronicis periodicae recurrentibus manifestum est.

Raro adest aequalis per omnia systemata et organa affectio; in plurimis potius determinata organorum series, vitam magis incolumen servat. Haec organa secundum sanitatis normam operantur, morbi propagationi renituntur, et efficaciam suam tandem super partes morbo adfectas extendunt.

Sanatio morborum ope consensus.

Consensus lex est, quod affectio partis cujusdam aliis partibus, saepe toti organismo communicetur et easdem vel similes producat affectiones.

Per hunc organorum consensum ex morbo locali fit universalis vel et localis aliarum partium mediante hoc principio natura plurimis medetur morbis. Et quidem:

I. Si morbus, actionis vitalis enormitati innititur, actione plurium organorum per consensum excitata eo facilius et citius se consumit, et processus ad eum gradum, qui ad normam requiritur, reducitur. Sic morbus hypersthenicus per majorem extensionem quidem fit gravior, sed eo citius vincitur.

II. Quum morbus, in actionis vitalis debilitate vel torpore fundatus raro per omnia systemata et organa aequali ratione est difusus sed potius certa organa vitam minus labefactatam offerunt; haec organa morbi exstensioni renituntur et aliis adque aliis in consensum tractis morbum facilius superabant.

III. Organon affectum aliorum organorum functiones in consensum vocando morbi causam et morbum aufert. Sic ventriculus cibis nimiis repletus, diaphragma et musculos abdominales in consensum trahit, et materia ventriculum molestans vomitu ejicitur. Materia irritans in trachea aut pulmonibus, organa respirationis in consensum abripit, et stimulus per tussim ejicitur.

Sanatio morborum ope antagonismi.

Antagonismi lex est: affectio partis, opposita aliarum partium producit affectiones, Actio igitur imminuta vel suppressa partis unius, alterius partis actionem auctam, vel aucta unius, imminutam alterius producit actionem. Haec organismi lex multorum morborum medela fieri potest, quomodo autem id, fiat e sequentibus patebit.

I. Actio organi unius imminuta, excitat alterius organi actionem auctam. Haec singulari vi medicatricis operatione illud, quod peccatur, alterius organi languore vigore alterius compensatur, ut organismi ejusque vitae integritas conservetur.

Id summe manifestum est in secretionibus et excretionibus. Secretio aut excretio altera imminuta vel suppressa, aliam secretionem vel excretionem auctam excitat, qua suppressa suppletur, et detrimentum quod a materia se — et excernenda retenta timendum est, praecavetur secretioque suppressa, haud raro restituitur. Sic transpirationem suppressam supplet diarrhoea exorta, et materiam transpiratione eliminandam per alvum evacuat. Menstrua suppressa haemorrhagia narium supplet.

II. Actio unius organi aucta alterius actionem imminutam producit. Sic cutis functione aucta tollitur diarrhoea. Singularis quoque antagonismus intercedit inter genitalia et mammas, inter cerebrum et tractum intestinalem pariter alvi fluxum, maniam, melancholiam sanasse, observatum est.

Hac organismi lege, morbi universales et locales organorum nobilium, in aliorum minus nobilium organorum affectiones transeunt. Haec, vis medicatricis operatio per translationem vel derivationem, sive subtractione virium, sive subtractione materiae, explicanda videtur.

a) Multiplex intercedit inter diversas organismi partes commercium, quod partim per membranas, partim per nervos tamquam actionis conductores sustinetur; hoc commercio parte altera affecta, alteri eadem communicatur affectio, quae si ad altiorem vehementiae gradum extollitur consensus abit in antagonismum, parti primarie affectae vires subtrahuntur, et secundaria primariam quasi sufflaminat. Hinc illa translatio frequentissime obtinet; inter organa, quae insigni iunguntur consensu.

Actionis morbosae translatio, in multis morborum formis obtinere videtur, in quibus affectio morbosa justo citius suppressa est, quin causa morbi in miscela vitiata consistens, oblata fuisset; hinc affectio morbosa alio in loco adparet, gravissimis hinc inde stipata phaenomenis, nec secundaria tolli potest prius, ante quam affectio primaria sit restituta. Sic febris intermittens justo citius suppressa obstructiones diversas relinquit quae saepe non tolluntur, nisi novo intermittentis insultu. Exanthemata: erysipelas scarlatina, variollae, morbilli; inpetigines: scabies, herpes, lepra, in cute evanescunt, et in organis internis, aut cerebro, aut pectoris, aut abdominis, gravissima et periculosissima producunt symptomata

Natura vel arte restituto exanthemate in cute affectio secundaria disparet. Idem optinet in suppressis haemorrhoidalibus, gonnorrhoea diarrhoea; fluxu eorum restituto gravamina compescuntur.

b) Quaelibet partis actio justo magis aucta, majorem attrahit humorum copiam, qui aliis inde partibus subtrahuntur. Hinc functio organi antagonistice exaltata, parti primarie affectae, materiam, saepe et morbosam subtrahere potest. Sic ulcera pulmonum per orta in partibus externis ulcera sanantur.

Hac lege metastasis et derivantium ac repercutientium actio explicatur.

Sanatio morborum per diversas organismi functiones.

Ad praecavendos et sanandos organismi morbos omnes omnium organorum functiones contribuunt, inter quas praecipuas, quae vegetationi maxime inserviunt, referam.

Organismus animalis compositus est ex materia summe corruptibili; quae vix momentum in eodem persistere potest statu; continua igitur optinet destructio, continua destructae eliminatio, continua materiae novae requiritur assumtio, Materia autem assumta prius, quam in substantiam organicam et animalem permutatur, et in naturam inde inorganicam reducitur et eliminatur, diversos metamorphoseos gradus transire debet, in quorum singulo determinatas organorum reactiones experitur.

Si hae materiae assumtae per consuetas organorum reactiones naturam organicam et

animalem paulatim assumunt et destructae consuetis viis et recto tempore eliminantur, functiones secundum sanitatis typum operantur. Si vero materiae nimis heterogeneae naturam suam difficulter deponunt, singulares organorum reactiones excitantur, quibus morbus constituitur. Iisdem semper in omni viti ao statu organismus utitur functionibus ad materiam subigendam vel eliminandam et integritatem suam restituendam,

Inter primas, quas materia assumpta experiuntur, mutationes pertinet digestio. Per digestionem in primis et secundis viis materiae externae naturam suam pro parte deponunt, quae si inmediate in sanquinem delatae fuissent, morbos imo mortem produxissent. Venenum piperinum ore assumtum vim venenatam amittit, spirituosa in sanquinem infusa mortem inducunt. Materia peregrina vel inquilina quantitate vel qualitate peccans, fortiorem ventriculi, et intestinorum reactionem, copiosiorem succi gastrici, enterici, pancreatici, bilis secretionem excitat, et inde vel digeritur, vel per vomitum ejicitur, vel per alvum evacuatur. Sic multi morbi gastrici sine exaltata reliqui organismi reactione tolluntur.

Materia peccans stimulo morbifico neque per digestionem orbata neque evacuata absorbetur, et systematis lymphatici et glandularis reactioni exponitur.

Quae neque in vasis absorbentibus et glandulis naturam suam deleteriam deposuit materia, vasorum sanguiferorum systemati traditur, et totius systematis reactionem et febrim excitat.

Omnis materiae assimilatio in Statu morboso aeque ac sano secundum easdem organismi leges fit, et per easdem vires, nisi quod stimuli vehementiores in morbo reactiones producant solemniores. Assimilatio non modo, quae ex canalis intestinalis officina huc delata, sed et ea, quae per ipsum processum normalem vel abnormem destructa et detrita sunt, subigere tentat. Sic ergo in morbis a causa materiali exortis haec ipsa materia vasorum actioni exposita subigitur, vel juste praeparata et cocta organis secernentibus et excernentibus tradita eliminatur. Haec materiae coctio. et per crises evacuatio sola vi conservatrice in praxi est manifestissima.

Nutritio, qua materia animalis et specifica organismo restituitur, ejusdem vis est operatio, Sic substantiam per processum morbosum deperditam per exaltatam reproductionem vis medicatrix restituitur. Morbi hectici a substantiae organicae penuria orti sola nutritione sanantur. Per hanc functionem solidorum destructio fluidorum corruptio praecavetur.

Inter omnes organorum functiones, quibus vis medicatrix utitur, sumam dignitatem sibi vindicat secretio, et vix datur functio ad quam secretio non concurrct.

Omnis autem secretio vel in quantitate vel qualitate mutatur, quantitas vel aucta vel imminuta. Omnes hae secretionis mutationes pathologicae ad sanationem contribuunt.

Exaltata vasorum secernentium actio.

a) Causam materialem aufert; sic materia gonnorrhoica aucta muci, corpus peregri-

num in oculo lacrymarum secretione abluitur

b) humorum secretorum dispendio actionem vitalem exaltatam deprimit et citius ad statum normalem reducit. Intestinorum secretio aucta febrim inflammatoriam mitigat.

Imminuta secretio ad sanationem contribuit humores plasticos retinendo et debilitatem praecavendo. In foeminis sub reconvalescentia menstrua retinentur, et sanguis nutritioni impenditur.

Secretio per antagonismum aucta vel imminuta multis morbis medetur, ut supra dictum. Secretio in qualitate mutata proprias ac specificas secernit materias. Videtur miscela horum organorum per morbos mutata novam ac propriam acquirere affinitatem, quam in statu sano non habet, et ablato morbo amittit. Hinc specifica materiae transpirabilis, urinarum etc. qualitas.

Novum plane secretionis organon, per morbos saepe constituitur; qua materia singularis qualitatis, pus, secernitur. Suppuratio praegressam semper supponit inflammationem, et ejus effectus adeo solemnes sunt, ut inter primarias virtutis medicatricis operationes referenda sit.

Suppuratio actionis vitalis excessum localem et pro diversa suppurationis intensitate et aegri constitutione, universalem infringit et inflammationem localem vel universalem tollit. Hac ratione suppuratio chronica omnino morbum sthenicum praecavere potest, consumendo virium excessum, qui requiritur ad mor-

bum constituendum. — Deinde suppuratio corpora peregrina et partes destructas, sphacelosas excernit. — Tandem suppuratia altera tollit alteram, sive id per materiae vel actionis vitalis translationem explicare velis. Huic facto vesicantium, fonticulorum, cetaceorum usus inititur. — Denique suppuratio substantiae partium molium deperditae reproductionem causat, quae sine suppuratione nunquam fieri quamque nulla ars imitari potest.

Excretio simili modo aucta vel imminuta vel perversa mutata esse potest. Excretio ut plurimum secretionem mutatam supponit, hinc et ex hac morbosae mutata excretionis mutatio intelligitur.

Excretio excernit vel materias non digerendas vel per vitae processum destructas, vel et plasticas naturae organicae et animalis indolem referentes. Excernunter vel per organa excretioni dicata, alvum, renes, cutem etc. vel per nova et insolita haemorrhagias.

Quid excretio per alvum, cutem urinarum ad sanationem contribuat, ex praecedentibus patet.

De haemorrhagiis pauca subjungenda sunt.

Per vigentem vitae processum majorem quam ad reproductionem requiritur, sanquinis copiam et diathesim inde sthenicam produci, sanquine per diversa organa evacuato morbos praecaveri vel exortos sanari posse vix ullus dubitabit medicus. Attamen non semper vera requiritur plethora, sufficit aucta vasorum receptivitas ad morbum ponendum. In utroque casu major in sanguinem vasorum reactio ejus-

dem motum excitat, majori vi ad organa irritata, vel debiliora et minus resistentia impellitur, et dilatatis vasorum poris vel ostiolis evacuatur. Haec evacuatio stimulorum summam imminuit et exaltatam solidorum actionem infringit. Haemorrhagia non tantum in universali humorum orgasmo salutares producit effectus, sed et in congestione topica, epistaxis cephaleam, haemorrhoidum et menstruorum fluxus gravamina haemorrhoidalia et colicam catamenialem auffere potest.

Ex imperfecto hoc tentamine patet, non vilipendendam esse vim medicatricem sed summam mereri attentionem. Insignis enim est morborum nummerus, qui per eam solam sanantur, et in illis casibus, in quibus ars naturae sucurrere debet, naturae sanatio semper basim constituit, hacque deficiente frustraneum est artis auxilium.

Theses defendendae.

1.

Omnis sanatio fit per vim medicatricem.

2.

Vis medicatrix medicos non reddat superfluos.

3.

Sine vis medicatricis cognitione, medicus, veram sanationis rationem ignorat.

4.

Dolor maximum naturae donum.

5.

Sanatio, qua gloriantur falsae morborum theoriae vi medicatrici debetur.

6.

Punctio vesicae urinariae hypogastrica praeter alias methodos palmam sibi vindicat.

7.

Medicus veri nominis membris reipublicae utilissimis merito adnumeratur.

8.

Lunae influxus in organismum humanum magnus.

9.

Nicotianae in statu sanitatis usus nunquam defendendus.

10.

Corpora anorganica specifica gaudent vita.

11.

Frigus putredini inimicissimum.

12.

Curatio foeminae hystericae dificillima.

13.

Deffectus hyminis absolutam virginitatem non demonstrat.

14.

Coxalgia in gradu tertio omnem medici auxilium respuit.